



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

121. Debitum Pastoralis &c. Confirmatio, seu nova Erectio Congregationis
super Disciplina Regulari, cum suppressione alterius Congregationis super
Statu Regularium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

Decretum
roborans
& irritans

Derogatio
contrariis

Publica-
tionis
mandatum

Translum-
porum fi-
des.

Sanctio
poenalis.

munimine roborare volentes. Motu proprio, non ad cuiusquam Nobis super hoc oblata petitionis instantiam, sed ex certa scientia, & matura deliberatione, deque Apostolica potestatis plenitudine præsertim decreta, omniaque, & singula in eis contenta tenore præsentium auctoritate Apostolica confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicæ firmitatis robur, & efficaciam adjicimus, quinimò motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus, omnia, & singula in suprascriptis decretis contenta, de novo statuimus, decernimus, & ordinamus, ac ab omnibus, & quibuscumque, etiam speciali, & individua nota dignis omnino exactè, & perpetuò servari volumus, sancimus, & mandamus.

§. 3. Decernentes præsentibus literis cum omnibus & singulis inibi contentis semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere debere, & ab omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandoque, & quomodocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè, & inviolabiliter observari, sicque, & non aliter, per quoscumque Judices ordinaros, & delegatos, quavis auctoritate, præminentia, aut potestate functuros, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sedis Apostolicæ Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate judicari, & definiri debere; Ac irritum, & inane si secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§. 4. Non obstantibus omnibus, & singulis, quæ præfata Congregatio, auctoritate per ejusdem recordationis Urbanum Papam VIII., & respectivè per Nos illi specialiter attributa, decrevit non ob stare, quæ pariter, & iterum Nos tenore præsentium non ob stare decernimus, & mandamus, quibus omnibus quoad ea, quæ præsentibus adversantur, illis aliàs in suo robore permanens, etiam harum serie plenissimè, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut præsentibus Literæ invalvis Ecclesiæ Lateranensis, ac Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiaque generalis in Monte Citorio, ac in acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est publicentur, & affigantur, sicque publicatæ, & affixæ, omnes, & singulos, quos illæ concernunt perinde ardeant, & afficiant, ac si unicuique eorum personaliter intimatæ fuissent.

§. 6. Pariterque, ut earundem præsentium transumptis impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 1. Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc Nostrarum Confirmationis, Approbationis, Statuti, Decretorum, Ordinationis, Voluntatis, Sanctionis, Mandatorum, & Derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo nonagesimo septimo, Decimo Kal. Januarii, Pontificatus Nostri Anno Septimo.

J. F. Card. Albanus.

B. Cardinalis Prodatur.

Visa de Curia J. Ciampinus.

J. Catallus.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo Indictione sexta, die vero tertia Januarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini INNOCENTII Divinæ Providentiæ Papæ Duodecimi, Anno septimo; Supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, Curie Innocentianæ, Cancellariæ Apostolicæ, in acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Joannem Baptistam de Capellis ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papæ Curialem.

Franciscus Antonius Simoncellus Mag. Curf.

Confirmatio, seu nova Erectio Congregationis super Disciplina Regulari, cum suppressione alterius Congregationis super statu Regularium.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Debitum Pastoralis Officii, quo Ecclesiæ Catholice per Universum Orbem diffusæ regimini divina dispositione præsidemus, Nos urget, atque impellit, ut paternam Christi fidelium, qui è fluctibus Seculi in portum Vitæ Religiosæ confugerunt, curam gerentes, adea, per quæ regularis illorum observantia, atque disciplina opportunis rationibus facta recta custodiri, & sicubi collapsa est, adjuvante Domino, reparari valeat, favorabiliter intendamus, concessæque Nobis à Domino potestatis partes studiosa Charitate desuper interponamus, sicut ad Omnipotentis Dei gloriam, Religionis incrementum, ac spiritualem Populi Christiani ædificationem salubriter expedire in Domino arbitramur.

§. 1. Cum itaque Nos aliàs sanctum, & salutare, Ecclesiæque Dei maximè fructuosum regularis disciplinæ instaurandæ opus aggressi, Congregationem nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, ac Dilectorum Filiorum Romanæ Curie Prælatorum super eadem disciplina Regulari specialiter deputaverimus; ipsaque Congregatio sic deputata plura hætenus, & quidem valdè utilia, atque opportuna hac in re decreta ediderit; Verùm, sicut non sine gravi animi Nostri molestia accepimus, tametsi decretorum hujusmodi observantia in plerisque Religiosorum Virorum Monasteriis, seu Conventibus prosperè, ac feliciter introducta fuerit, atque exinde inibi uberior in dies electi sanctorum operum frumenti messis benedictente Domino exurgat, non eisdem tamen alibi celestis idem semen afferat fructus; neque enim cessavit, nec adhuc cessat humani generis hostis in agro Domini supereminare zizania, quæ Patris-familias fermentem suffocant. Hinc est, quod Nos prophetici illius moniti memores, clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam: ut constans, enixaque voluntas Nostra inceptum opus hujusmodi peculiari studio, summaque animi contentione prosequendi magis, ac magis omnibus innotescat, omnisque transgressoribus vano, falsoque silentii Nostri prætextu se se excusandi occasio penitus præci-datur.

§. 2. Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione Nostri, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, prædictam Congregationem Cardinalium, & Prælatorum super disciplina Regulari à Nobis, ut præfertur deputatorum, ac in futurum tam à Nobis, quam à Successoribus Nostri Rom. Pontificibus deputandorum, tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, illique inviolabilis, & irrefragabilis Apostolice muniminis vim, robur, & præsidium adjungimus; Et nihilominus eandem Congregationem Cardinalium, & Prælatorum super discipli-

Publicatio

CXXI.

Exordium

Constitu-
tionis cau-
sæ.

Confirma-
tio prout
in rubr.

Congregationis confirmatae facultates.

na Regulari de novo, quatenus opus sit, etiam perpetuò erigimus, & instituimus.

§. 3. Ipsius autem Congregationis à Nobis sic confirmatae, seu de novo erectae facultates sint, & esse debeant; intrà fines Italiae, & Insularum adjacentium designandi, ac deputandi pro Novitiis, & Professoris Conventus, Monasteria, Collegia, ac Domos quorumcunque Monachorum, & Regularium Virorum cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti tam Mendicantium, quam non Mendicantium, etiam necessariò exprimendi; necnon Novitiatus, & Professoria huiusmodi mutandi, transferendi, suspendendi, & supprimendi, prout utilitas, necessitas postulerit, ac exegerit; Dandi licentias Superioribus Regularibus, ad quos pertinet, recipiendi in Novitiis sic deputatis Novitios ad habitum & professionem; Decreta tam fel. rec. Clementis Papae VIII. Praedecessoris Nostri super reformatione Regularium, ac praesertim ea, quae Institutionem, & educationem Novitiorum concernunt, tum ab ipsa Congregatione super disciplina Regulari die 18. Julii 1695. Iussu Nostro edita exequendi; Quaecunque inde emergentes controversias decidendi; Potissimum vero exactae Vitae Communis observantiam promovendi; atque ad hunc effectum dumtaxat novas quorumcunque Conventuum, Monasteriorum, Collegiorum, & Domorum huiusmodi fundationes diligenter examinandi, ne ulla scilicet in posterum Religiosorum Virorum loca fundari, aut quovis modo institui contingat, nisi in quibus eadem Vita Communis, juxta ultimo dictorum Decretorum praescriptum, perpetuò, & exactè servari valeat: Omnia demùm, & singula faciendi, ordinandi, decernendi, statuendi, & exequendi, quae ad eandem Disciplinam regularem efficaciter stabilendam, sive restituendam quomodolibet pertinere possunt, & in praemissis omnibus etiam penes, & censuris Ecclesiasticis procedendi.

Peculiare ejusdem munus.

§. 4. Caeterum, quia sicut nonnullorum Rom. Pontificum Praedecessorum etiam Nostrorum vestigiis inherentes, Regularibus Italiae, Insularumque adjacentium, utpote Nobis propioribus, ac veluti ante oculos hujus Sanctae Sedis constitutis, quosque proinde ceteris Religiose Vitae exemplo praelucere maxime decet, praecipuum quandam Apostolici muneris Nostri sollicitudinem impendendam esse duximus, ita reliquos omnes Religiosos Viros toto Orbe diffusos, Nostraeque speciali curae subiectos minimè negligendos putamus: tam enim iis, qui longè, quam illis, qui propè sunt, debitores Nos esse cognoscimus; earundem tenore praesentium praecipimus, & mandamus, ut praecipuum, ac peculiare dictae Congregationis munus, & cura sit Nobis, ac pro tempore existenti Romano Pontifici ea jugiter suggerere, & proponere, quae pro eorumdem Regularium ubicunque existentium cuiuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis, aut Instituti sint fovenda, seu reparanda disciplina, felicibusque illorum in Via Mandatorum Domini progressibus, & laudabilibus studiis juvenandis necessaria, & opportuna fore in Domino judicaverit.

Alterius Congregationis suppressio ejusque facultatum translatio.

§. 5. Quoniam verò de praesenti etiam alia Congregatio nonnullorum Venerabilium itidem Fratrum Nostrorum ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, ac dilectorum pariter filiorum Curiae praedictae Praetorum super statu Regularium nuncupata dudùm à rec. mem. Innocentio X. instituta, ac Clemente IX. Romanis Pontificibus Praedecessoribus pariter Nostri respectivè confirmata reperitur, eique plures ex praedictis facultatibus dictae Congregationi super Disciplina Regulari per Nos, sicut praemittitur, concessis, attributae fuerunt, ne aucto ejusmodi Congregationum numero rectum agendi ordinem confundi, atque inde Regulares Viros nimis distrahi, adeoque ipsos ex iis, quae pro salubri, prosperaque illorum directione providè, ac sapienter instituta fuerunt, permi-

ciem potius, & incommodum, quod absit, experiri contingat, dictam Congregationem super statum Regularium, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus harum ferie similiter perpetuò extinguimus, supprimimus, & abolemus; Omnes verò, & singulas facultates ipsi Congregationi super statu Regularium quomodocunque, & quandocunque concessas, iis dumtaxat exceptis, quas memoratae Congregationi super Disciplina Regulari, sicut praemittitur, impertiti fuimus, in Congregationem Venerabilium etiam Fratrum Nostrorum dictae S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositam perpetuò itidem transferimus, & transportamus.

Decretum super obstativis.

§. 6. Decernentes easdem praesentes Litteras, & in eis contenta, quaecumque etiam ex eo, quòd in praemissis interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cuiusvis status, gradus, ordinis, praeminentiae, & dignitatis existant etiam Cardinalatus honore fulgentes, & alias specificà, & individuà mentione digni illis non contulerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, neque causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae, & justificatae fuerint, aut ex alia quacunque, etiam quantumvis juridica, pia, & privilegiata causa, colore, praetextu, & capite, etiam in Corpore Juris clauso, etiam enormis, enormissimae, & totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut interesse habentium consensus, aliòve quolibet etiam, quantumvis magno, ac formali, & substantiali, individuamque expressionem requirente defectu, notari, impugnari, infringi, modificari, retractari, in controversiam revocari, seu ad terminos juris reduci, aut adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliòve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrato, aut etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus concessio, vel emanato quempiam in iudicio, vel extra illud uti, seu se juvare posse; sed ipsas praesentes Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obrinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè, & perpetuò suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter, & inconcussè observari.

Clausula sublata & Decretum irritans.

§. 7. Sicque, & non aliter in praemissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. praefatae Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque praeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum culibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, quidquid fecus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel igno- rante contigerit attentari.

Derogatio contrariis.

§. 8. Non obstantibus praemissis, ac nostrà, & Cancellariae Apostolicae Regula de jure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, & Institutorum, aliisve quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, illorumque Superioribus, & personis, ac aliis quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque

efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibus, ac aliis decretis in genere, vel in specie, vel aliis quomodolibet in contrarium concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum infererentur, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Volumus autem, ut eorumdem præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem ubique fides in iudicio, & extrà adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ; Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 4. Augusti 1698. Pontificatus Nostri Anno VIII.

J. F. Card. Albanus.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo octavo, Indictione sexta, die vero nona Augusti, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri, Domini INNOCENTII Divinà Providentiâ Papa XII. Anno octavo; Supradictæ Litteræ Apostolica affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ S. Jo. Lateranensis, Principis Apostolorum, Curia Innocentiana, Cancellaria Apostolica, & in Acie Campi Floræ, & in aliis locis solitis, & consuetis Urbis, per me Sebastianum Vasellum ejusdem SS. Domini Nostri Papæ Cursorem.

Joseph Staggius Mag. Curf.

Transumptorum fides.

D. 4. Aug. 1698. P. A. 8.

Publicatio

CXXII.

Constitutio super forma regiminis Sanctæ Domus, & Civitatis Lauretanæ.

INNOCENTIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium

Sacrosancta Redemptionis humanæ Mysteria, quibus & Christianæ religionis primordium, & universæ per Orbem Ecclesiæ dignitas, & ipsa Romani Pontificis Christi Vicarii Apostolica celsitudo confurgit, quemadmodum ad intimum doloris sensum ex Sanctorum locorum, in quibus ea Dominus noster operari dignatus est, sub infidelium tyrannide gementium consideratione Nos provocant; jamdiu enim est, quod venerunt Gentes in hæreditatem Domini, polluerunt templum sanctum ejus, & posuerunt Civitatem sanctam Jerusalem in opprobrium, & direptionem: ita ad sacra ejusdem Redemptionis Nostre monumenta, quæ Divina largiente gratia, sub Christianorum potestate, ac potissimum sub temporali Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ditione reperiuntur, eò studiosius custodienda, atque impensius veneranda Pontificiam Nostram sollicitudinem excitant, & impellunt. Sanè cum Sacrum illud Cubiculum, seu Sanctam Domum Lauretanam nuncupatam, ubi primum gloriosissima Dei Genitrix, ac semper Virgo Maria, quasi aurora confurgens præclara Nativitate sua gaudium annuntiavit universo Mundo, ac ubi Unigenitum Dei Filium Sancti Spiritus obum-

bratione concepit, insigni miraculo, ac Angelorum ministerio ad Piceni Nostri Provinciam transportatum universus Christianus Orbis veluti primum tabernaculum Dei cum hominibus jam à pluribus seculis veneretur in terris, & Omnipotens de Cælis Deus assiduâ miraculorum frequentia illustrare non cesser; Nos erga in tam Sacrosanctam Domum mentis Nostre aciem simul, & cordis affectum convertentes in eam libentissimè curam incumbimus, ut, remotis iis, quæ dissidia & offensiones parere quoque modo possent, felici prosperoque præfatæ Sanctæ Domus, & Lauretanæ Nostre, quæ velut in atris ejusdem Domus Domini posita est, Civitatis regimini, Romanorum etiam Pontificum Prædecessorum Nostrorum aliàs desuper editis Constitutionibus, ubi opus fuerit, reformatis, & immutatis, Apostolicâ providentiâ consulamus.

§. 1. Aliàs siquidem plures Romani Pontifices Prædecessores Nostri ob eximium religionis ze- lum, atque in Deiparam Virginem devotionis affectum quamplurimis eandem Sanctam Domum privilegiis, indultis, gratiis, & prærogativis condecorarunt, & signanter fel. rec. Clemens Papa VII. Prædecessor Noster inter cætera Castrum Lauretanum, ejusque habitatores cum omnibus juri- bus, & pertinentiis suis curæ, gubernio, administrationi, & regimini cum mero, & mixto imperio, & gladii potestate, Commillarii, seu Protectoris dictæ Sanctæ Domus submisit, & demandavit; ac novissimè rec. me. Paulus Papa V. etiam Prædecessor Noster volens diversis litibus, & contentio- nibus, quæ inter Episcopum Lauretanum, & Protectorem præfatæ Domus exortæ fuerant, & oriri possent in posterum, obviare; utque eadem Sancta Domus Lauretana, ejusque Officiales, & Ministri quicumque, nec non Bona, res, & jura ad eam pertinentia melius, & facilius gubernarentur, eidem Sanctæ Domui, seu pavementum tam ejusdem Sancti Cubiculi, seu Sanctæ Cappellæ, quam circumcirca usque ad columnas, & scalas inclusivè contentum, in Territorium proprium, distinctumque, & separatam nullius Diocesis, in quo de cætero solus ejusdem Sanctæ Domus Protector pro tempore existens, ejusque Governator privative quoad Episcopum Lauretanum, etiam si Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis existeret, jurisdictionem omnimodam, & quasi Episcopalem habere & exercere possent, perpetuò constituit & assignavit; ipsamque Domum, seu Cappellam magnam, & parvam nuncupatam, ac pavementum, & Territorium prædictum, ejusque Governatorem, Officiales, Ministros, & quoscunque alios tam Laicos, quam Clericos, & Regulares eidem Sanctæ Domui, seu Cappellæ, ejusque Bonis quomodolibet inservientes, nec non eorumdem Officialium, Ministrorum, aliorumque inservientium familias, servitores, & famulos, & quoscunque cujusvis generis, conditionis, & præeminentiæ Peregrinos ad eandem Sanctam Cappellam, seu Ecclesiam Lauretanam confluentes, nec non ejusdem Sanctæ Domus palatia, ædificia, possessiones, & prædia quæcumque, & reliqua Bona tam stabilia, quam mobilia, & se moventia ubique existentia, supellectilia etiam pretiosa, pecunias, elemosynas, donationes, & quæcumque relicta ab omni, & quacunque Episcopi Lauretani superioritate, & jurisdictione, dominio, ac potestate perpetuò, plenissimè, penitus, & omnino exemit & liberavit, ac sub Beati Petri, & Sedis Apostolicæ protectione speciali suscepit; omnimodamque jurisdictionem Ecclesiasticam, & spiritualem, & quasi Episcopalem in præfatam Sanctam Domum, ejusque Territorium, Ministros, Officiales, aliosque inservientes, ac Peregrinos, resque, Bona, ac jura prædicta eidem pro tempore Protectori subiecit, & adjudicavit, variis eidem Protectori tam circa Vicarii Curati

Privilegia Domui Lauretanæ à Prædecessoribus concessa.

deputa-